

A *Horat. de arte Poëtica.*
Tu nihil inuita dices, faciesque Minerva,
Format enim natura prius nos intrus ad omnem
Fortunarum habitum, inuat, aut impellit ad iram,
Idem. Horat. Serm. lib. 2. Satyr. 2.
Nam propria telluris herum natura, neque illum,
Nec me, nec quenquam statuit: nos expulit ille.
Illum aut nequies, aut vafri inscitia iuris,
Postremum expellet. certe viuacior heres,
Nunc ager Vmbreni sub nomine nuper Ofelli
Dictus erit nulli proprius, sua cedet in usum
Nunc mihi, nunc alijs.

DE NATURA EIVSQUE HABITVDINE,
APOPTHEGMATA.

SOCRATES dicitur eum execrari solitus, qui primus vtilitatem à natura sciunxisset, Naturam, appellat honesti rationem homini à natura insitam. *Eras. lib. 6. apoph.*

ARISTOTELES tria ad solidam parandam sapientiam præcipue necessaria esse dicebat, Naturam, Doctrinam, & Exercitationem. Inuita enim Minerva, & ingenio refragante, frustra etiam in rebus minimis laborabis. *Laërt. lib. 3. cap. 1.*

PHOCIONIS filius plura solito obsonia coëmerat. Pater comminatus est si plura quam secundum naturam per incontinentiam ingurgitaret, ipsum penas luiturum: Sensit autem Phocion, naturam paucis contentam esse, multis autem corrumpi & depravari. *Stob. serm. 1. 5.*

DIONYSIVS sen. Matris, quæ quamvis anus marito tradi vellet. Ciuilia, inquit iura violari possunt, naturæ non possunt. *Eras. lib. 4. cap. 1.*

LIPSIVS, Natura ad vtrumque nos genuit, & contemplationem reru & actioni. *Ex Seneca. Ex l. 2. manu ad Stoic. Phil. Diss. 5.*

Natura femina Bonæ mentis nobis ingenuit, fomites, & scintillas: quæ in aliis magis minusque elucet, vt est animi temperies, sed tamén opinionum prauitate in omnibus hoc à Natura rectum iam corruptum est: ideoque Doctrina adiuan-dum, instaurantium, depurandum. Non enim vt Sol ipse nubes obiectas dissipat sua vi & perturbat: ita hic est adiutorio opus, directione & exemplo. *Ibid. Dissert. 10.*

Bona Natura, exercitationem nacta, & Præceptorem candidè docentem facile venit ad perfectam virtutis comprehensionem. *Ex Zenone, Ibidem.*

Natura ipsam legem iugandi & gignendi dedit, & secula per rationem propagandi. *Ex Cent. miscel. epist. 82.*

C Natura, qua duce errare nemo potest (iuxta illud *Iuuen. Sat. 24.*

iniquam aliud Natura, aliud Sapiencia dicit) inuestigamus: & simul B. Antonium prælatè de ea sentientem, Rogatus quippe, quomodo vitam sustentaret destitutus omni solatio quod ex libris habetur, respondit: Meus liber est natura rerum à Deo conditatum: quæ, quoties liber, libros ipsius Dei ad legendum suppeditat. Quid enim, inquit admodum Christiane Seneca, est aliud Nututa quam Deus, & diuina ratio, toti mundo partibusque eius inserta? *Socrat. lib. 4. hist. Ecclesiast. cap. 18. Ex Euangrio, Beyerl. in Apoph. Christian.*

Quærenti, quoniam defectus difficillimè curarentur: Illi, inquit quidam, quos Natura rerum nouatrix indidit. Illa enim, etsi furca expuleris, sua sponte recurret.

Nec poteris reatum cancris inducere gressum,
Nec leues horrent in echini reddere fentes.
Ex Ioann. Petroso Beyerl. supra.

*** HIEROGLYPHICA.**

D Fuere, qui per Luna hieroglyphum naturam humanam exprimi differerent. Nam quod hæc è limo terræ constat: terra etiam Lunatis globus esse perhibetur. Pythagoras enim Lunam modoterram cælestem, modo terrestre cælum appellabat, ac terræ similem eam dicit Aristoteles. Varia est præterea Lunæ facies diebus; singulis immutata conspicitur; neque veritati quicquàm magis obnoxium quam rerum humanatum condicio, Quinetiã si vniuersusque; hominis vultum intueamur: nunquam aut rarissime hæc & illa vice eundem esse conspiciemus. *Pier. Valer. l. 44.*

*** NATURÆ OPERATIO.**
FINIS PROPTER QVEM NATVRA
OPERATVR
In Genere.

Ac primum error quorundam. Dein veritas.

Naturam nullo proposito sine agere, arbitrati sunt, qui huius materiæ necessitati addixere omnia, vt Anaxagoras

& Empedocles; & quæ rerum generationem ex partium inter se temere coëuntium permixtione constituisse disputarunt. Democritus & Epicurus. Sed hæc tam absurdam, & à communi Philosophorum iudicio abortente opinionem inculcat. *Plato in Timæo, Phædone, Philebo, & Politico, Aristot. in fine lib. 2. Physic. & lib. 2. de oriu & interiu, & 1. de partib. animalium c. 11.*

Eandem quoque tacente Philosophia, coarguit sese omnium oculis vltro ingerens naturæ pulchritudo, decorque mirabilis, quem rerum dissimilium inter se congruens varietas sic conciliat, vt eundem absque alicuius finis præscripto conciliare nõ posset. Neque enim varietas, sine conuenientia & consensione aliqua, venustate parit; neque in tanta naturarum diuersitate stabilis esset, aut diuturna consensio, si res physicae in aliquod commune bonum, quod finis rationum obtinere oportet, vniuersæ conspirassent. Est autem hoc bonum naturæ conseruatio ordoque. Cuius appetitio & studium insolentiam potentiorum partium in mundo cohibet, infirmiorum imbecillitatem acuit, contrariorum impetum refrenat, ac denique hæc vniuersa ad temperiem & moderationem vocat, vt non tam inter se dissidio dissidere, quam in commune cœdus & amicitiam coisire videantur.

F Certe tota hæc mundi machina & vniuersitas, non modo sese à Deo conditam, sed & ad aliquem finem destinatum esse clamat: etenim indignum foret tanti artificis sapientia, tam præclarum opus, etsi affabè & concinnè, frustra tamen elaborasse: elaborasset autem frustra, si nullum ei scopum, nullum finem constituisset, frustra enim & in cassum censetur id effectum, quod nullius gratia effectum est.

In hæc sententiam multa satis lauculenter scripsere Patres. *D. Gregorius Nazianzenus secunda oratione de Theologia. D. Augustinus 1. de ordine, D. Chrysostomus in opusc. de prouidentia. D. Athanasius in oratione aduersus idolo. D. Basilii & D. Ambrosius in libro Hexameron. Theodoretus sermone 1. de prouidentia. Lactantius in libro de officio Dei, & alijs.*

IN SPECIE. Puta

VARIJ FINES IN QVOS NATVRA
TENDIT.

G Non vnus tantummodo, sed varij sunt fines ad quos natura tanquam ad scopum collimat. Etenim vnumquodque pro natura suo modo captuque, hunc aut illum finem proximè respicit: particularia agentia priuatum: vniuersalia, si quæ vberiori vi prædita sunt, commune. Exempli gratia: Leo, cum Leonem gignit ad formam Leonis geniti, vt ad propinquum finem tendit: docente *Arist. cap. 8. lib. 3. Physic. text. 81.* at simul etiam ad propriæ speciei conseruationem, vt ad alterum huius innoxium & coherentem finem, aspirat, Prouidit nimirum salutis suæ appetens, atque immortalitatis æmula natura, vt singularia dissolubilia, quia per se ab interitu vindicari non poterunt, generationum beneficio, & nascendi fecunditate seruari, atque ita quodammodo sempiterna essent, non numero, sed specie: id quod *1. de generatione animalium. cap. 1. & 2. de anima capite 4. text. 34. Aristoteles docet.* Corpora verò cœlestia quia vniuersales causæ sunt, non vnus tantum, sed omnium sublanarium specierum perennitatem & commune bonum, peculiariter pro fine habent. Ideo enim totum sublanarem mundum complexu suo coërent, ac perpetuo motu circumeunt, & influxu quasi irrorant vt species omnes, quoad possint, tucantur.

H Est etiam totius corporeæ naturæ vniuersalis finis, Homo; vt post *Platonem* asseruit *Arist. 1. Polit. cap. 5.* docentque Patres communi consensu: tum quia Deus spectabilem hunc mundum hominis gratia procreauit, eique singulari beneficio subiecit omnia; tum quia homo iure insitæ nobilitatis, & eminentioris formæ prærogatiua totam corpoream naturam ad se conuocat, sibi que arrogat. Est enim natura lege comparatum, vt quæ inferioris notæ sunt ad præstantiora, si eis præsertim aliquo modo vsui esse possint, referantur, quo pacto forma Elementi, quæ omnium despiciatissima est, ad formam corporis mixti ordinatur; forma corporis mixti ad vegetatricem, vegetatrix ad sensus competentem; hæc tandem ad animam rationalem, quæ omnium formarum numeros & perfectionem in se cohibet.

Est præterea finis alius homine vterior, videlicet totius naturæ ordo & pulchritudo; vt tradit. *Aristoteles 1. Metaphys. cap. 10. text. 52.*

Denique